
Historia Scholarum Vratisl. gymn. Magdalen.

Paedag: 740.

Fechnerus Joh: Dissertationes de Graecorum scholis et ecclesiis sugo Mahumetico prestis — habendas indicit 1664.



J. F.

DISSERTATIONES
De Græcorum
SCHOLIS ET ECCLESIIS
Jugo Mahumetico
pressis;
Nec non
DE IMPERII TURCICI STATU
& Oppugnatione,
IN ACTU VIRLINGIANO
GYMNASII MAGDALENÆI,
D. 13. Martii, A. C. 1664.
habendas indicit
M. JOHANNES FECHNERUS.

VRATISLAVIÆ,
Typis Baumannianis exprimebat Johannes Christoph. Jacob.





Lectori benivolo
Salutem, Observantiam, Amorem.



Ui memori sortes populorum mente frequentas,
Regnorumq; vices tragicas obitusq;, perenni (cum
Quos cata Mnemosyne signavit codice tenenni
Expendis, priscis conferre recentia solers;
Respice sis terræ lacrymabile funus Achivæ.
En! quæ prælustri pulsabat vertice cœlos
Armorum Legumq; parens, cultissima nutrix
Virtutum, mater studiorum fertilis, orbem
Quæ totum Sophiæ melioris fruge replevit,
Heu! protrita jacet Mahumetis calce feroci
Græcia, & antiquæ laudis vix sustinet umbram.
Scilicet Imperii nullius tanta potestas
Eminet, infestæ quam non vis improba sortis,
Et grave fatorum possit prosternere robur.
Non transit metas armata potentia, Numen
Illi quas fixit: Ruit alto à culmine Regnum,
Cum jam summa dies instat, cum terminus urget
Fatalis. Frustra defendunt mœnibus hostem
Turritis cives, Superum quem fortior armat

Virtus,

Virtus, ultoris qnem concitat ira Tonantis.
Nil tunc proficiunt eductæ ad ſidera moles
Murorum, nil arma juvant animiq; ſuperbi.
Urbicapus Mavors & inevitabile fatum
Pulveris in formam rediguntarasq; focosq;.
Sic Hellas cecidit, ceciderunt Helladis urbes
Auguſtæ, quas fama loquax æquavit olympo.
Urbs ubi nunc Cadmi ſeptem clarisſima portis?
Arx ubi nunc Pelopis magni, bimarisq; Corinthi
Mœnia? Dic, veteres quo colle ſtetere Mycenæ?
Commonſtra Spartæ convulſa cadavera; Nempe
Sub tumulis tumulata jacent hæc oppida cæcis,
Nec tantæ ſuperant veſtigia certa ruinæ,
Nec decoris lapſi ſignum. Fuit Argos & ingens
Gloria Cecropidum, fuit Elis nobilis. Ipſæ
Nil Pandioniæ jam ſunt niſi nomen Athenæ.
Vah ſævæ ſortis ludibria! Culta Minervæ
Arx ululis præbet diris collapſa latebras.
Barbariem ſpirant Scythicam vicina locorum,
Doctâ quæ quondam reſonabant voce Sophorum.
Has ſubiit miſeranda vices urbs Attica, caſtæ
Palladis & Conſi certamine clara, per omnem
Artes quæ ſparſit doctrinâ traduce mundum.
Nil præter curtas hîc eſt ſpectare proſeuchas,
Quas piſcatorum colit excors vappa, vel atrox.
Prædonum tribus, ex rapto quæ vivere ſvevit.
Pars melior terram curvo proſcindit aratro.
Omnia fatali populatus acinace Turca

Barbarus, ingenuas cultis cum moribus artes
Exegit totâ dudum regione, Camœnas
Ipsas exegit. De rupe bivertice Phœbus
Fugit inops exul: Spoliatus Pindus honore
Daphnonis nitidi, dumis deformibus horret.
Cultior humano pede non adeundus Imavus
Est Helicone sacro, Cyrrhæq; cacumine calvo.
Bœoti sunt Bœoti, neq; vatibus undas
Vocales fundit vervecum patria Phocis.
Lympha caballini laticis, libata Poetis
Olim, nunc Geticos nutrit limosa caballos.
   Sed quid ego memoro montes fontesq; canoros?
Omnia somnia sunt, sunt omnia somnia, Pastor
Ascræus dio quæcunq; poemate narrat.
Fabula Pieridum nunc facta est fabula vera:
Nullas nam Musas hodie fovet Aonis ora:
Pro Musis mulas alit immanesq; camelos.
   Nil est cum Phœbo, nil cum Libethride Turco
Immiti: Gaudens Otmanica Porta cruentis
Bellum ferale studiis indixit honestis,
Nec patet ingenuis firmata tyrannide longâ
Artibus, ad placidam quæ formant pectora vitam.
Non bené conveniunt nec in unâ sede morantur
Crudelis ruditas & blanda scientia rerum.
Hinc Geta trux vertit Græcorum docta Lycea,
Et potior lixa est illi sapiente magistro,
Qui docet adversas truculentis moribus artes.
Sentit in immensum vires sibi crescere crudâ


Barbarie: Hæc ipſi numeroſum ſufficit agmen
Latronum: Hac feritas ſe vindice Turcica munit.
Hanc igitur Grajo ferventer in orbe tyrannus
Odryſius dudum ferro domitore propagat,
Ac decimas rapit è Chriſtjana pube ſubactæ
Gentis, & inde ſuæ fortisſima robora promit
Militiæ, quibus inſtructus, ceu congrege cœtu
Ditis, Chriſtianos Furiis pugnacibus urget.
Eheu! Quò ventum eſt? Quò lapſa eſt Græcia? Ab illâ
Quantum mutata eſt hodiè doctaq; piaq;?
En! Gens quæ Chriſto produxit germina quondam,
Hoſtes nunc Chriſti nutrit Satanæq; miniſtros,
Qui blasphema agitant infandis orgia ſacris,
Muphtius horribili dum detonat ore tremendas
Corani leges. Sed portio fecis Achivæ,
Illic quæ reſtat, noſtri myſteria JESU
Hiſcere vix audet, tenebroſis abdita cloſtris,
Et ſervile jugum tolerat dejecta tot annos.
At tu relliquias Danaûm & miſerabile fatum,
Quod confeſſa Crucem ſacram fert turba, revolve
Tecum mente piâ, Germania chara, maloq;
Cautior alterius vitare pericula diſce,
Diſce cavere truces pœnas, reſipiſcere promta.
Muſas jam dudum profugas Helicone Pelasgo
Hoſpitio propenſa tuo conceſſit Olympi
Gratia, teq; ſacri luſtravit lumine Verbi.
Nemo po eſt numerare ſcholas & culta lycea,
In quibus omnigenæ multa cum fruge docentur

Artes, & pietas animis ſincera tenellis
Gnaviter inſeritur. Sed quid Germana juventus?
Hæc tanta ubertas illi faſtidia præbet,
Segnis ut Argolicos ad fontes viſere, Grajam
Res ſibi habere ſuas jubeat cum Pallade Muſam.
Certè Cecropiæ circum ſubſellia Pithûs
Troſſulus exultat rarus, qui diſcere curet,
Fæcundo ſermone ſagax quæ prodidit Hellas,
O cæcas verò mentes! O pectora læva!
Siccine fas lingvam ſtolido contemnere faſtu,
Artes quâ docuit meliores gnava vetuſtas?
Unde fluunt rivi lymphâ prægnante bonorum?
Eſt igitur noſtrum, quibus eſt injuncta docendi
Publica cura, pigram ſtimulare ſubinde juventam,
Ac reſidi thyrſos monitorum adhibere frequentes,
Rectius ut ſapiat, dimiſſo errore maligno,
Et diſcat mites reverenter habere Camœnas.
Artes ingenuas, cœleſtia munera, nemo
Impunè ſpernit. Vindex ulciſcitur ira
Numinis ingratos hominum, & ſocordibus auffert
Palladium Sophiæ ſacrum dotesq; benignas
Muſarum. Mox Tartaricis invecta camelis
Barbaries loca cuncta replet ruditate feroci.
Cur igitur ceſſas, pubes, reſipiſcere? Sacras
Pieridûm ſedes cur viſere negligis? Inſtat,
Inſtat atrox hoſtis, qui vaſtat acinace diro
Templa Scholasq; pias. Exemplum flebile præſtat
Græcia, Barbariâ quæ nunc mage barbara fertur.

Hoc

Hoc est, quod teneram cras nostra monere juventam
Svada parat, Numen si nobis faverit æqvum.
Sed Vos, qui doctas proclivi mente fovetis
Castalidas, Mecœnates promtiq; Scholarum
Fautores, nobis venerandi semper honore
Præcipuo, jam-nunc solenni more rogamus,
Ut, si quam rerum graviora negocia pausam
Permittunt, operas scholici intervisere ludi
Et faciles nobis aures adhibere velitis.
Quod superest, summum devota in vota vocamus
Numen, ut á nostris clades avertat acerbas
Oris ac vires truculenti conterat hostis,
Exitium Christi populo qui triste minatur.
In solo spes firma DEO est: Hic proteget agmen
Christiados parvum, & Musis præstabit asylum
Securum, studiis ut ritè operentur honestis.

Prop. publ. a.d. 12. Martii,
A. C. 1664.



Dicent

Dicent

I. *Præceptor, disserturus de Scholis publicis Græcorum Mahumetica tyrannide oppressis:*

II. *Discipuli,*

1. *Prologus, Vitus Ferdinandus à* Mudrach:
2. *Declamaturi,*
   1. *De Sorte Ecclesiarum Græcarum sub jugo Turcico afflictissimâ, Georgius Leuchtius Plavia-Variscus, (Græcè)*
      Esaias Saxo, Hirschbergensis:
   2. *De Statu Imperii Turcici ejusq;*
      1. *Viribus, ratione*
         1. *Imperatoris ipsius vel Tyranni Otmanici, Tobias Rösnerus, Sorâ Lusatius,*
         2. *Militiæ, Gotofredus Sprotta Vratislaviensis:*
      2. *Vitiis & imbecillitatibus intestinis ejusdem, Christianus Lindnerus Strelensis; cui subjunget carmen Germanicum,*
         Gotofredus Winterus, Olsn.
3. *Expositurì sententias diversas de Turcarum viribus terra mariq; oppugnandis & frangendis, sub personâ 4. populorum orbis Chrstiani, quibus cum hostibus istis barbaris hactenus præ & pro cæteris Europæis fuit depugnandum;*
   1. *Germani, Johannes Ernestus à* Franckenberg/
   2. *Hungari, Fridricus* Schneider/ *ex Hungaris Schemnicensis,*
   3. *Hispani, Theophilus Wagnerus, Vratislaviensis,*
   4. *Veneti, Christophorus Pricelius Dracomontanus:*
4. *Recitaturi Psalmum 79 aliasq; formulas precationum, quibus Ecclesia contra hostes suos, præsertim Turcas Divinam opem implorat,*

Gottfried Fuchß/	*Andreas* Hesse/
Gottfried Heydenreich/	*Christianus Fridricus* Kitzing/
Tilemannus Hartman/	*Zacharias* Hensel.

5. *Epilogus; Daniel Lindnerus, Dracomontanus.*




Biblioteka Jagiellońska
stdr0009977